

Trésor des proverbes français

Auteur(s) : Garnier, Philippe

Généralités

Titre long de la première édition identifiée (ou autre édition)*Thesaurus adagiorum gallico-latinorum redditorum un usum utriusque linguæ studiosorum, ex variis cùm recentioribus, tūm antiquioribus authoribus collectorum tempori & alphabeto accommodatorum. Tresor des proverbes françois expliqués en latin pour ceux qui sont curieux & amateurs de ces deux langues, mis par ordre de l'alphabet pour plus grande facilité, avec une table des matieres. Per Philippum Garnerium Aurelianum Gallum, Linguæ Francicæ in celeberrima Giessensis Academia Professorem ordinarium* (Dominici Custodis, 1612)

Information sur l'auteur ou les auteurs

- [Garnier, Philippe](#)
- philologue

Date de la première publication de l'œuvre 1612

Transcription et analyse des péritextes

Transcription des péritextes de toutes les éditions

- Nobilitate, amplitudine atque vario rerum usu excellentissimis vitis Domino Ioanni à Wouweren, & Domino Ioanni à Witten, Illustrissimorum Holsatiae & Megapolitanorum Ducum respectivè Consiliariis dignissimis, Patronis suis quovis honoris, & officiorum cultu unicè demerendis. [Dominici Custodis, 1612]

Sicut et Nobilissimis, eruditione at virtute politissimis viris juvenibus, Domino Ulrico Eberhardo à Buffeck compatri suo dilectissimo, Domino Volperto Danieli Schenck in Schweinsberg, & Domino Ioanni Christophoro Gogrebe in Niedersifelt, amicis suis perplurimum colendis.

Quantus in omni optimè constituta Republica linguarum usus (* 2 r°) quanta earumdem necessitas, quanto denique eadem nobilioribus ornamento sint, nobilissimè exprimitur, cum sole destitutos esse eos optimi quivis arbitrentur, qui linguarum peritiam ex optimè constitutis Rebuspubl. auferunt. Quid enim, quaeso, nobis medullam religionis & fidei recludit, an non fundamenta linguarum ? Quid nos cum exteris conjungit, an non linguarum usus ? Et ut

horum plurima praeteream, quid ultimò viam ad longè diffitas partes nobis sternit, an non harum cognitio ? Quid verò à supradictis nos feiungit, an non prava ignorantia ? O igitur terque quaterque beatum qui his se totum consecravit, atque nullo quantumvis intenso se ab his abstrahi passus est labore. Noverunt hoc qui sub Turcica aliorumve Tyrannide ca- (* 2 v°) ptivi sunt detenti, experti sunt, qui cum his & aliis negotiationes terrâ marive exercuerunt. Illorum enim perplorimos linguarum peritia libertate, interdum etiam divitiis donavit, horum opes & bona adauxit. Quas verò in omni studiorum cursu commoditates cognitio linguarum, in primis Gallicae adferat, Mathematum cultores testabuntur. Haec & alia me adduxerunt, ut post alias lucubrationes (ex quibus non exiguum Almae Germaniae flori fructum accessisse perdidici) me ad Adagiorum in vita omni modo obviorum opus conficiendum accingerem. Quamvis enim ab otio praesenti operi condigno, procul satis abfuerim, supersedere tamen non potui, quin petitis nobilissimorum, clarissimorumque dominorum locum relinquerem. (* 3 r°) Conquisita itaque ex variis tum authoribus, cum vitae & colloquiorum necessitatibus in unum fasciculum comportavi, tali modo, ut omnis generis conditionis hominibus facilè ea inservire possint.

Vos itaque, eruditione atque rerum usu, paeclarissimi atque nobilissimi Domini, vos, inquam, com non tatùm stili Gallici avidissimos, & patriae in pietate, linguis & virtutibus iam luminaria, verum etiam adhuc linguarum cultores vigilantissimos pernovimus. Praetereà etiam, cum in recentiori adhuc memoria mihi beneficia resideant, quibus ante duodecim annos, me vobis praesentem, benignissimè affecistis ; ubi etiam colloquenter me vobis tali animi intentione observastis, ut etiam digniora notatu in (* 3 v°) tabulis concepta, ad usus futuros reservaveritis.

Vos quoque nobilissimi, pietate & virtute studiosi excellentes, cum animi vestri desiderium perspexerim, beneficiorumque vestrorum grata apud me existat memoria, desiderio hisce volui satisfactum, beneficiorum verò cupivi symbolum gratum existere. Atque ita haec & alia sunt, quae me impellunt, ut post Grammaticam Gall. & colloquia Gallico-Latino-Germanica ante biennium à me emissā, hoc Adagiorum meorum opus sub nomine atque patrocinio vestro in lucem ederem, vestrū & nomen & animum eo exornarem. Vos laeti hoc meo qualicumque labore fruimini, atque quâ saepius consuevistis me animi benevolentâ fovere. (* 4 r°)

Valete, Giessae Hassorum ex musaeo meo vii. Idus Junii. Anno M. DC. XII.

V.V.V.V.N.N.N.N. demisse colens

Philippus Garnerius Aurelianensis Gallus, Gall. linguae Profess. publicus. (* 4 v°)

• Lectori benevolo S.P. [Dominici Custodis, 1612]

Praesens Adagiorum & Proverbiorum opus Lector benevole, in lucem placuit emittere, non ut quiq novi producerem, sed ut partim mea cum aliorum operibus conjungerem, partim gratum animum candido Lectori exhiberem. Cum enim ea, quae hactenus in lucem edidi, adeò avidè quivis Gallicae linguae amans coemerit, ut vix residua eorumdem exemplaria repariantur, gratus & has meas lucubrationes, usui & vitae omnis generis commodas typis committere consultum visum fuit, in primis cùm ipsam energiam & medullam Ioco seriorum adagiorum & pro- (* 5 r°) verbiorum contineat. Velim autem, si quae minus commodè & eleganter Latinè sint redditā, Candidus Lector non in authorem libri, sed in Adagiorum propriet atem (ut quae aliter verti non pouterunt) conjiciat ; Si enim ipsemēt rem exquisitè discusserit, inveniet rem

- non verbotenus, sed ad sententiam posse explicari. Cape itaque & animo
benevolo perfruere quod labore & industriâ conquisitum conjeci. Vale (* 5 v°)
- Praestantissimo viro, domino Philippo Garnero Gall. linguae Professori pub.
Proverbia Gallico Latinae edenti S. [Dominici Custodis, 1612]
 Dum das Gallorum Latiae proverbia linguae,
 Haec hominumque sinis cusa subire manus :
 Dum gnomas tradis veterum ; dum aenigmata fingis
 Gallica, quâ Latio sint recintanda modo :
 Dum praecepta edis Iuvenili accommoda menti
 Et viva & muta plurima voce doces :
 Garneri, mihi crede facis dignissima tanto
 Munere, quod summa laude & honore subis.
 Unde tibi merito multum Res. debet,
 Publica cum quaeras commoda & ipse libris. (* 6 r° / mentionné * 4 r° sur
 l'exemplaire)
 Pare vir, ô simili modò sic prodesse labore
 Perge tuo ; ut possis, faxit agatque Deus.
 Chunradus Theodoricus Practicae Philosophiae in Academia Gissena
 Professor. (* 6 v°)
 - Viro clarissimo, Domino Philippo Garnero Gall. linguae Professori pub.
Adagia Gallico-Latina edenti. [Dominici Custodis, 1612]
 Exemplar patriae Philippe, linguae,
 Amplius vice simplici disertae
 Praeclarè meritus de honore linguae
 Aeternare tuum, tuaeque gentis
 Honorem properas eadem opella
 Gallici modo purioris istac
 Meros alite flosculos leporis
 Cato carpere pollice allaborans,
 Festivum, varium, novum, iocosum
 Pulchellum, nitidum, elegans, venustum, (* 7 r°)
 Tersum, scitulum, amoenum, & expolitum
 Dias lucis opus cies ad auras,
 Doctorum calido sinu fovendum.
 Mactè ! sic patriam beans loquelam
 Famae perpetibus vehêre pennis
 Garneri, patriae decus loquelae.
 Iach. Jungis Lubecensis Mathemarum Professor Giessae. (* 7 v°)
 - In adagia gallico-latina clarissimi viri Domini Philippi Garnerii Aurelii Galli,
 Profess. pub. [Dominici Custodis, 1612]
 Garneri bone, Gallicae cathedrae
 Praeclarum decus, arduo labore
 Quidnunc post aliquos tuos libellos
 Excusos, iterum incipis Iuventam (* 8 r° / mentionné * 7 r° sur l'exemplaire)
 Informare Academicam Polito
 Sermonis, cedo, Gallici Lepore ?
 An Proverbiae proferes, grifhosve,
 Aut si quid simile est, & his & istis ?
 Sic : proverbia proferes, & isthaec
 Mox pro more tuo, elegantiore
 Exponis idiomate, atque in istis

Quis succus siet atque sanguis addes.
Heu magnum hoc opus, & satis celebri
Dignum nomine, & optimis quibusque
Permultum utile, qui modo hanc labore
Tentant noscere serio loquelam.
Tu pergas modò publis Iuventam
Scriptis erudiisse ; & ab futura est
Non unquam tibi gloria, & Iehova
Rectè prospiciet tibi. valeto
Deproperabat M. Christophorus Scheiblerus. Philosop. Profes. Giessae. (* 8 v°)

- Aliud. [Dominici Custodis, 1612]
Festino fracto, presso, torso ore rotundo,
Musa dedit Gallis dexteritate loqui.
Lingua sonat Geticum, sermonem sibila Graecum :
In charta monstrant verba Latinae typi :
Grammata nunc fingunt, elidunt plurima, mutant
Octo scribuntur quatuor indè sonant.
Praecipitant modo verba foras sua turbinis instar,
Unum ut de centum vocibus haud capias.
Hac si delectas lingua, praecepta doceri
Ex fundamentis ut brevitate queas :
Consule Garnerium, doctos ejusque libellos,
Aequandum Gemmis hoc quibus adsit opus. (* 9 r°)
Hic nisi Francorum speras addiscere linguam,
Teutonicis rediens dic modo Galle vale.
Ioannes Rupert Francus LL. St. (* 9 v°)

- Aliud. [Dominici Custodis, 1612]
Quis non, cui Gallae cordi aurea gratia linguae est
Te, Garneri, adamet ? quis non te laudibus ornet ?
Tam tuum ab illius madefactum nectareguttur
Divinos fundit rores & commoda promit
Commoda per duplicem latè currentia mundum.
Nuper ut externis dulcissima mella loquela.
Vestae etiam pareant, nova fundamenta locabas. (* 10 r°)
Grammaticae ; his vero gemmata superstruxti
Colloquia, ut venerem si qui audivere loquentem.
Aut didicisse ipsam haec aut te docuisse fateri
Credam, nunc vulgas Proverbia, qualia nondum
Sol oculus mundi vidit. Perge ausibus istis.
Fama tribis tua facta suis cantabit & ultra
Clarificum extollet blanditur Amathusidos orbem.

Honors & Amoris ergo f. Giessae
M. Salomon Codomanus Byrhutinus. (* 10 v°)

- Aliud. [Dominici Custodis, 1612]
Quamvis, Garneri, venam natura negarit,
Iam tamen extorquet carmina vera fides.
Vera fides, inquam, subtiles ritè recessus,
Gallorum varia dum brevitate doces.
Et quamvis patulo nomen celebretur in orbe

Quod dederis populo spendida scri- [coquille répétition du vers à l'identique]
At tamen hisce magis scriptis tua fama vigebit.
Postquam illis dabitur laus, honor atque decus.
Et licet hos studiis nomen, laudemque paratam
Invideant alii, te tamen ista manet.
Quum, si praeclarus nunc inveniatur amicus
Musarum, certè is non latitare potest. (* 11 r°)
Sed, dum sacrati noris sacra dogmata Iuris,
Et sis Iuridici flosque decusque chovi :
Non decet ut lateas, Garneri, fautor amice
Des, honor ut notus fiat in orbe tuus.
Retrahe musa manum : supera qui sede triumphat
Faxit, ut erudias pluribus omne solum.

Preeceptori suo ut fidelissimo, ita omnibus sibi numeris suspicioendo, adjecit

Ioannes Rupert Nimbsgern, à Lungvelden, Nassovwest, LL.St. (* 11 r°)

- Aliud [Dominici Custodis, 1612]

Res sanè haud parva est longinquas viseret terras,
Et varias terraque marique excurrere ad urbes
Ad pernoscendum, queis moribus atque statutis
Ista vel haec vivat regio, quid victu & amictu
Exposcat pro more suo Gens ista vel ista.
Magna igitur, bone Garneri, praecomia laudum,
Iam meritus dicere, tuo studiosa Iuventus
Quod discit studio & libris (qui bibliothecam
Iam dum completerunt multorum) Gallico ut ista
Quae cupit, haec possit facundo farier ore.
Hinc et enim facile est longinquas visere terras, (* 11 v°)
Et varias terraque marique excurrere ad urbes.
Propositum calidè tu perge urgere, deinceps
Posteritas puto, nulla foret quae dicere grates
Cessabit tibi, Garneri, praecclare. valeto.

Praeceptorи suo omni observantiâ proseguendo apposuit

M. Ioannes Petrus Aucheterus Phorcensis Marchicus, Medicinae St. (* 12 r°)

- A Monsieur Garnier Orleanois Professeur public de la langue Francoise a
Giesse, sur ses Proverbes François huitain. [Dominici Custodis, 1612]
Si j'avoy un sçavoir à mon desir egal,
J'entonneroy si haut ton los inimitable,
Qu'il n'y auroit, Garnier lieu en terre habitable
Où il ne se parlast de toy amy loyal.
Peindre ton eloquence au jour de la memoire,
C'est, mon brave Garnier, etermiser (sic) tes ans, (* 12 v°)
Et changer les fleurons de tes escrits coulas
Aux honorables fruits d'une Immortelle gloire.

Wilhelmus de Brinc Tremoniaenus.

Les dossiers de la collection

2 sous-collections :

- [1612 - Trésor des proverbes français - Dominicus Custos](#)
- [1625 - Trésor des proverbes français - Jakob de Zetter](#)

Les documents de la collection

2 notices dans cette collection

En passant la souris sur une vignette, le titre de la notice apparaît.

Les documents de la collection :



[1612 - Dominicus Custos - Trésor des proverbes français - Bibliopol-Olomuc](#)

Garnier, Philippe

Mots-clés : [Modèles d'écriture](#)



[1625 - Jakob de Zetter - Trésor des proverbes français - BnF Tolbiac](#)

Garnier, Philippe

Tous les documents : [Consulter](#)

Informations sur la notice

Référence Thresors de la RenaissanceThRen_155

Rédaction de la notice Réach-Ngô, Anne

Éditeur Anne Réach-Ngô (UHA, IUF) ; EMAN (Thalim, CNRS-ENS-Sorbonne)

nouvelle)

Citation de la page

Notice du site Thresors de la Renaissance : **Trésor des proverbes français** Anne Réach-Ngô (UHA, IUF) ; EMAN (Thalim, CNRS-ENS-Sorbonne nouvelle), consulté le 08/08/2025 sur la plate-forme EMAN :

<https://eman-archives.org/ThresorsRenaissance/collections/show/155>

Collection créée par [Anne Réach-Ngô](#) Collection créée le 26/01/2017 Dernière modification le 21/09/2021